Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26177
Copyright: Admont, Benediktinerstift



possit. Quia enim dixerat nec oculum uisu saciari nec auris
impleri auditu. ꝯfestim causam adiungit quare nec oculum
uisus nec aurem possit implere auditus. quia uidelicet rerum transi
toriarum species. per sensum quidem aduenientes ꝯcupiscentiam excitant.
sed cito fugientes transitu desiderium fraudant. De hoc enim transi
tu sententiam subiungit dicens. Quid est quod fuit. Iam non est. Preterit
enim et iam non est. Ipsum idem tale erit quod futurum est. Nam et ipsum cum ue
nerit pertransibit. et cum pertransierit amplius non erit. Quid est quod factum est.
Ipsum etiam iam pertransiit et non est. Ipsum quoque idem tale erit et illud quod faci
endum est. quia ipsum cum factum fuerit pertransibit et amplius non erit.
Sed queri potest quare preterita solum et futura ꝯmemorauit. cum pre
sentium rerum contemptum potius persuadere intendat. Sed hoc
ipsum ad magnum contemptum pertinet eorum quidem nunc quod ea solum
in numero rerum ꝯmemorare noluit que sola sensus carnis pre
sentia ꝯprehendunt. quasi illa solum non esse uideat que sola esse
uidentur nec dicere possit quid est quod est. quod etiam cum est pene nichil
est. Nam presentium momenta ita cursu festino et ueloci elapsu
fugiunt. ut etiam de se loquentium sermones expectare non possint.
Nam et si aliquando ab interrogante secundum aliquid dici recte pos
sit est. a respondente tamen semper uerius dicitur fuit et non est. Sic ipsa
interrogatio responsionem quidem querit que nondum est. sed responsio
ueniens interrogationem non inuenit que iam non est. In uera quoque ꝯsidera
tione hoc solum quasi non esse uidit. quod solum esse uidetur. quia dum simul
et esse incipit ex eo quod nondum est. et esse desinit in id quod iam non est.
pene nichil est quod est. Et idcirco nequaquam interrogat quid
sit quod est. quia et ipsum interrogantis est. respondenti quantumuis
proximum. fuit iam et non est. Recte quoque dicitur quid est quod fuit. ipsum quod
futurum est. quid est quod factum est. ipsum quod faciendum est.
Ac si diceret. Ex preteritorum consideratione perpendite. quid debeatis
de superuenientibus expectare. Idem enim est utrumque et quod fuit
et quod futurum est. quod factum est et quod faciendum est. idem est non